

Christian Ohm Johannes Mollenbeck

Disputatio Secunda De Iureiurando

Rostochi[i]: Pedanus, 1615

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788089021>

Druck Freier  Zugang




Alte Wien 81

V. K. — 2 (171.)

alte Wien Stad. Yellman

PIGNORIUS
ET HYPOTHECA

Christophorus ...



Disputatio Secunda

31
DE JUREJU-
RANDO

Quam

D. O. M. A.

*Consensu & auctoritate Amplissimi Icto-
rum ordinis in celeberrima Rostochiensis Academia.*

PRÆSIDE


Clarissimo & consultissimo Viro,

DN. CHRISTIANO Ohm
Iuris Doctore

Publicè habebis

JOHANNES MOLLENBECK
Lemgoviens. Westp.


In auditorio majori ad diem 17. Junij.



Rostochi

Excudebat Joachimus Pedanus,

ANNO M, DC. XV.



THESES I.



Uti Jusjurandum frequentius datur de pecunijs creditis, ut non malè dicatur Emplastrum æris alieni, ideo post titulum de rebus creditis subjicitur. Cujac. in parat. ff. b. t.

II.

Est autem Jusjurandum affirmatio religiosa, qua quid inter homines Deo immortali cum iudice tum teste interposito affirmatur. Cuj. in parat. b. t.

III.

Quamvis per rem aliam quam per DEUM, ut per salutem principis, per caput liberum à veteribus jurari solitum, tamen rectè in Christianis & benè constitutis curijs hodiè id non observatur. Vult. i. discep. c. 7.

IIII.

Utu tamen ferè obtinet, ut Principes & Nobiles, si sub fide principali vel nobilitatis bey Fürstlichen / oder Adelslichen ehren vnd trewen promittant, juramento æquiparetur, (a) nisi versetur in iudicio, vel eo casu quo solenne & formale juramentum de substantia & necessitate requiritur, (b).

(a) Geil. 2. obser. 59. (b) Wesenb. consil. 15. n. 63.

V.

Juramentorum varia sunt genera, hic potissimum de eo quod litium expediendarum maximum remedium, (a) agemus. Id aut Voluntarium est, aut Necessarium aut Judiciale (b).

(a) l. i. b. t. (b) arg. tit. de jurej. sive volunt. sive Necess. sive Judic.

A 2

Volun-

Voluntarium est quod pars defert parti extra iudicium (a) Judiciale quod pars parti defert aut refert auctoritate iudicis in iudicio (b) Necessarium, quod à iudice uni litigantium defertur, iudicio jam cæpto in dubijs causis (c).

(a) *l. 17. pr. b. t. Wess in par. b. t. n. 7.* (b) *arg. l. sed. et si 25. b. t. Don. ad b. t. c. 3.* (c) *arg. l. admonendi 31. b. t. Duar. ad b. t. c. 30.*

VII.

Deferre iuramentum possunt, qui domini sunt & rerum suarum administrationem habent, (a) vel domini loco habentur (b).

(a) *l. Jusjurandum 17. §. 1. b. t.* (b) *l. tutor. 35. b. t.*

VIII.

Hinc pupillus (a) infans, (b) prodigus, (c) furiosus, (d) nisi tutoris vel curatoris auctoritatem adhibeant, iuramenta deferre prohibentur (e).

(a) *l. jusjurandum 17. §. 1. h. t.* (b) *arg. §. pupillus 9. Inst. de inutil. stip.* (c) *l. tutor. 35. §. prodigus 1. b. t.* (d) *arg. §. furiosus 8. Inst. de inutil. stip.* (e) *arg. l. jusjurandum 17. §. 1. b. t. arg. l. in negotijs 5. de R. J.*

IX.

Quod si de facto pupillus sine tutore auctore detulerit: Exceptio quidem obstabit, sed replicabitur, quia rerum administrandarum jus ei non competit *l. Jusjurandum 17. §. pupillus 1. b. t.*

X.

Servi & filij familias si peculij administrationem à patre vel domino, aut speciale mandatum habuerunt iuramentum deferre possunt *l. servus 20. cum duab. seqq. b. t.*

Procu-

Procurator quod detulit ratum habendum est: scilicet, si aut universonum bonorum administrationem sustinet, aut si idipsum nominatim mandatum sit, aut si in rem suam procurator sit *l. jusjurandum 17. §. ult. b. t.*

XII.

Aliàs autem procuratorem deferentem jusjurandum non esse audiendum, Julianus libro decimo Digestorum scribit. Nec postea reus qui semel juravit, à domino conveniatur, nec multum ei proficere, si fuerit ei de rato cautum, sive enim dominus petat, cogetur docere reus liquidò se jurasse, posita scilicet exceptione: sive ex stipulatione de rato agat: necesse habebit ipse de perjurio suo docere. *aliàs 18. b. t.*

XIII.

Si itaq; mandatum fuit procuratori ut petat: ille jusjurandum detulit: aliud facit quam quod mandatum est. *l. si itaq; 19. b. t.*

XIV.

Rerum alienarum administratores, omnibus probationibus alijs deficientibus jusjurandum deferunt (a) cum veri domini quocunq; casu id possint (b).

(a) *l. tutor 35. princ. b. t.* (b) *arg. l. in re mandata 21. C. mandati.*

XV.

Deferri juramentum potest volentibus omnibus cujuscunq; sexus, ætatisve sint (a) invitis vero ijs qui suo nomine convenire & conveniri possunt (b).

(a) *l. qui jurasse 26. b. t.* (b) *arg. l. tutor 35. §. ult. b. t.*

XVI.

Procurator non compellitur jurare nec defensor, & ita Julianus scribit libro decimo Digestorum, defensorem.

A 3,

jura-

si paratus sit iudicium accipere *l. iusjurandum 34. §. procurator. 3. b. t.*

XVII.

Volens tamen jurare potest. (a) si adversarius eum admittat (b) aliàs si rejectus fuerit, ipse principalis, nisi persona fuerit egregia aut valetudine impediatur, quibus casibus domum mitti oportet ad iurandum, in iudicium iurandi causa venire cogitur (c).

(a) *l. generaliter 12. §. bis de presentibus 4. C. b. t.* (b) *l. nam posteaquam 9. §. iusjurandum 6. b. t. l. generaliter 12. §. bis de presentibus 4. C. b. t. l. ad personas 15. b. t.*

XVIII.

Quacunq; actione quis conveniatur, si juraverit proficiet ei iusjurandum: sive in personam, sive in rem, sive in factum, sive pænali actione, vel quavis alia agatur: sive de interdicto *l. ait. Prætor 3. §. quacunq; 1. h. t.*

XIX.

Sed etsi de conditione personæ fuerit juratum, Prætor iusjurandum tuebitur: ut puta detuli iusjurandum, & jurasti in potestate mea te non esse, tuendum erit iusjurandum *l. ait. Prætor §. sed etsi 2. ff. b. t.*

XX.

Eum à quo iusjurandum petetur, ait Prætor, solvere aut jurare cogam, alterum itaq; eligat reus: aut solvat aut juret, Si non jurat solvere cogendus erit à Prætoribus *l. iusjurandum 34. §. ait. Prætor 6. b. t.*

XXI.

Datur autem & alia facultas Reo: ut si malit, referat iusjurandum, Et si is qui petet, conditione iurisjurandi nõ utetur: iudicium ei Prætor non dabit: æquissimè enim hoc facit, cum non deberet displicere conditio iurisjurandi.

randi ei, qui detulerit. *d. l. iusjurandum 34. §. datus*
7. b. t.

XXII.

Si neq; juratum est neq; remissum iusjurandum pro
eo debet haberi atq; si res in iusjurandum admissa non
esset. Proinde si postea jurare paratus sit, nihil ei hoc
iusjurandum proficiet: quia ex eo quod delatum est jura-
rum non est, *l. non erit 5. §. si neq; 4. b. t.*

XXIII.

Cum, ut Paulus libro trigesimo septimo ad Edictum
ait, manifestæ turpitudinis & confessionis sit, nolle nec
jurare, nec iusjurandum referre *l. manifesta 38. b. t.*

XXIII.

Remittit iusjurandum qui deferente se cum paratus
esset adversarius jurare gratiam ei facit, contentus volun-
tate suscepti jurisjurandi. Quod si non suscepit iusju-
randum, licet postea parato jurare actor nolit deferre non
videbitur remissum. Nam quod susceptum est remitti de-
bet *l. remittit 6. ff. b. t.*

XXV.

Qui iusjurandum defert prior de calumnia debet ju-
rare, si hoc exigatur. *l. iusjurandum 34. §. qui iusjurandum*
4. b. t.

XXVI.

Si non fuerit remissum iusjurandum ab eo qui de-
tulerit, sed de calumnia non juratur consequens est ut de-
beat denegari ei actio. Sibi enim imputet qui processit
ad delationem jurisjurandi, nec prius de calumnia juravit:
ut sit iste remittenti similis *l. si non fuerit 37. b. t.*

XXVII.

Iusjurandum quod ex conventionē extra iudicium
defertur referri non potest *l. iusjurandum 17. in princ. b. t.*

Si

si paratus sit iudicium accipere. XXVIIII.

Si quis iusjurandum intulerit & nec dum eo præstito, postea (utpote sibi allegationibus abundantibus) hoc revocaverit: Justinianus sanxit nemini licere penitus iterum ad Sacramentum recurrere (Satis enim absurdum, est redire ad hoc, qui renunciandum putavit, & cum desperavit aliam probationem, tunc denuò ad religionem convolare) & iudices nullo modo eos audire ad tales iniquitates venientes *l. si quis 11. C. b. t.*

XXVIII.

Si quis autem Sacramentum intulerit & hoc revocare maluerit, licere quidem ei hoc facere, & alias probationes si voluerit præstare: ita tamen ut huiusmodi licentia usq; ad litem tantummodo terminum ei præstetur. Post definitivam autem sententiam, quæ provocatione suspensa non sit, vel, quæ postquam fuit appellatum, corroborata fuerit, nullo modo revocare iuramentum, & iterum ad probationem venire cuiquam conceditur: ne repetita lite, finis negotij, alterius causæ fiat exordium *d. l. si quis 11. C. b. t.*

XXX.

De eo quod juratum est Prætor pollicetur se actionem non daturum, neq; in eum qui juravit neq; in eos qui in locum ejus cui iusjurandum delatum est succedunt *l. aut Prætor 8. b. t.*

XXXI.

In iudicio autem exceptioni locus est (a) quæ, si in rem juratum sit fideijussori (b) patri & domino (c) prodest, quemadmodum & econtra earundem personarum iuramentum reo proficit d).

(a) *l. nam posteaquum 9. in princ. b. t. §. eque 4. Inst. de Excep.* (b) *l. in duobus 28. §. 1. b. t.* (c) *l. 23. cum seq. ff. b. t.* (d) *l.*

XXXII.

Actori juranti actio acquiritur contra deferentem, vel referentem ejusq; heredes in qua hoc solum quæritur, an juraverit dari sibi oportere vel cum jurare paratus esset, jusjurandum, ei remissum sit *l. nam posteaquam 9. §. 1. b. t. l. sed si 11. §. ult. b. t.*

XXXIII.

Jusjurandum speciem transactionis continet: majoremq; habet auctoritatem quam res judicata *l. jusjurandum 2. ff. h. t.*

XXXIII.

Hinc causa jurejurando ex consensu utriusq; partis vel adversario inferente delato & præstito vel remisso decisa, nec perjurij prætextu retractari potest, nisi specialiter hoc lege excipiatur *l. causa, 1. C. b. t.*

XXXV.

Sequitur de jurejurando necessario, quod licet à judice ex officio deferatur, ex petitione tamen litigatorum etiam post causæ conclusionem deferri potest *l. generaliter 12. in prin. C. b. t. l. judices 9. C. de judic. c. judicantem 30. q. 5.*

XXXVI.

In criminalibus & alijs causis arduis, in quibus justæ & luce meridiana clariores probationes requiruntur hoc juramentum locum non sortitur *arg. l. ult. C. de probat.*

XXXVII.

In Causis tamen matrimonialibus pro matrimonio arbitrio judicis admittimus, contra non item *Geil. 2. observ. 94.*

XXXVIII.

Referri vel remitti juramentum necessarium nequit (a) lis tamen eo decisa appellatione suspendi potest (b).

B

(a) l.

(a) l. generaliter 12. §. 1. & 2. v. t. c. ult. X. eod. (b) d. l. generaliter 12. §. 1. b. t.

XXXIX.

Admonendi sumus interdum etiam post jusjurandum exactum permitti constitutionibus principum ex integro causam agere, si quis nova instrumenta se invenisse dicat, quibus nunc solis usus sit l. admonendi 31. ff. b. t.

XXXX.

Cum autem causam hoc jurejurando decisam permittitur ex integro agere, retractatio absq; in integrum restitutione fieri potest l. admonendi 31. b. t. junct. l. 1. 2. C. Si ex fals. instr. Donell. ad b. t. c. 11. n. 15.

XXXXI.

Præstito hoc jurejurando rei judicatæ actio vel exceptio, juranti nascitur t. tit. X. Re jud. & tot. tit. de execut. rei jud.

XXXII.

Et propterea ad condemnandum, sive absolvendum reum non sufficit hoc jusjurandum præstitum esse, sed sententia judicis requiritur l. de qua re 74. de Judic.

XXXIII.

In pejerantem per Deum certa pœna jure civili constituta non videtur arg. l. 2. C. b. t.

Corollaria.

I.

An jusjurandum calumnia filio aut liberto, patronis vel parentibus deferentibus remittatur? N. An

II.

An mortua in matrimonio filia liberis superstitibus, dos profectitia apud maritum remaneat, an vero ad patrem redeat? Prius affirm.

III.

An donatio omnium bonorum tam futurorum quam presentium sit valida? Affirm.

IIII.

An interesse rectè distinguatur in singulare commune & conventum? Neg.

V.

An ad possessionem consequendam etiam in suo herede corporalis apprehensio requiratur? Affirm.

VI.

Vsusufructuarius an novum opus nunciare possit? Neg.

VII.

An ex capite ignorantie adversus prescriptis

scriptionem detur restitutio? Neg.


VIII.


Utrum Sagarum per aquam frigidam probatio iuri sit consentanea, & ita sufficiens ad condemnandum vel absolvendum? Neg.


IX.

Furis est ex l. in singulis, ad L. Falcid. pluribus institutis heredibus in singulis locum habere Legem Falcidiam. Quod an verum sit eo etiam casu, cum portio unius heredis iure accrescendi vel iure substitutionis ad coheredem pervenerit, questionem habet non inelegantem? Affirmativa sub distinctione placet.











quod sicut, quam
servari debeat;
mana auctoritas
ducta, ut bene n
Magnif. Dn. Stry
ratione veriorē
riorum dispensat
potius, quam re
in Comment. ad D

Hæc sunt, qua
tate exarare atq
circa has forsan d
rias melius ex

VOTA VEL VT

onscientia servari potest,
quia ibi nihil potest hu
atio quoad DEUM est in
Brunneman. d. 1. §. fin. &
ibid. ad §. 8. ubi ex eadem
tentiam eorum, qui supe
ca votum, declarationem
esse putat. Conf. Lynck.
it. 34. §. fin.

tiarum pro ingenii tenui
potuimus; cetera, quæ
tim, & minus obvias mate
rent, aliis relinqvimus.
andem

PATER; EXAVDI HINC
VOTA!

